

Rodericus Zamorensis

Sermo factus coram sanctissimo domino nostro Pio papa secundo apud Viterbium in die sancte trinitatis per reuerendum patrem dominum Rodericum episcopum Ouertensem Hispanum. Anno Domini millesimo CCCC LXII

Si non credideritis, non intelligetis. Marci VIII originaliter hoc uerbum habetur.

Sapientum semper sententia fuit, beatissime ac clementissime pater, numquam homines uerecundiores esse debere quam cum de diis loqui conuenit. Hinc unus de philosophis dicebat de hominibus falsa loqui discrimen esse, de diis uero, etiam si uera incomplete dicere nonnumquam, periculum. Qua de re cum de sacratissime trinitatis mysterio hodierna die a me dicendum sit, destituunt me uires proprie et uox tremula intra pectoris sese coarctat angustias et qui sepe in hoc loco dicere consueuerat timidior effectus, cerno iam in me Ciceronis deffecisse sententiam cum ait quia *dicendi assiduitas alit audaciam*. Quippe ea ipsa que indocte satis conceperam pedestri saltem eloquio proferre non ualeam. Nec enim in quieto maris litore nauigare uideor, sed oceani fragoribus me submittens, profundissimum pelagus incautus ingredior qui omnem intellectum absorbet. Non enim agimus *si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, non si naute, caupones, stabularii officiant*; non denique de agris rusticis aut urbanis prediis agitur, sed de illa excelsa atque omnium superexcelsa diuinitatis natura, communicatione, generatione, productione et trium personarum diuinarum essentiali unione dicendum est. In qua re, ut Augustinus inquit: *Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid queritur, nec fructuosius aliquid inuenitur*. Accedit rursus quoniam peccatori homini non facile diuina panduntur mysteria, quia teste

5 Hispanum] Hyspanum V || 7 Marci] Marchi V || 22 litore] lictore S || 26 stabularii corr.] stabulari MSV

7 si... intelligetis] Is 7: 9, Septuaginta

19-20 dicendi... audaciam] Cicero, *Inu.* I.3.4 || 25-26 si... dicatur] *Dig.* 9, tit. 9 || 31-33 Nec... inuenitur] Augustinus Hipponensis, *Trin.* I.3.5

35 propheta: *Peccatori dixit Deus: 'Quare tu enarras iustitias
meas et assumis testamentum meum per os tuum?'* Vnde
Augustinus: *Sancte trinitatis excellentissimum sacramentum
non nisi a purgatis mentibus cernitur.* Et iterum: *Humane
enim mentis acies, quantumcumque ualida, in tam excelsam
40 lucem non figitur nisi per fidei iustitiam emundetur.* Ergo
igitur, summe pater et pontifex maxime, etsi peccator
seruusque inutilis existam, fide tamen aggrediar quod
meritis assequi non ualeo. Confisus itaque in eo qui dixit:
Aperi os tuum et implebo illud, et iterum: *Qui credit in me non
45 confundetur,* dicam cum Agustino pari fide licet gressu
longo impari; de sancte, inquit, trinitatis, excellenti
sacramento: *Non pigebit me sicuti hesito querere nec pudebit
quod ignoro discere.* Verum quia id ipsum oratione potius
quam studio cognoscitur, dicente apostolo: *Orate simul ut
50 uobis Deus aperiat ostium sermonis ad loquendum mysteria
Christi* et Dei, queramus hoc percipere ab eo quem
cupimus intelligere. Quod ut facilius pertingamus, ad
eam que totius trinitatis sacrarium est et beatissima
officina humiliter recurramus ut, que genuit uerbum, det
55 hodie uerbum dicentes Aue Maria.

Quoniam omnis humanis sermo, beatissime pater et
maxime pontifex, inferior est hodiernae festiuitatis
mysteriis et facile errori labitur humana fragilitas, ea de
re laudata semper fuit fidelium consuetudo ut quisquis de
60 ea re dicturus sit, sacrosancte Romane ecclesie
disserenda submittat, que a me hodie tanto libentius
repetita esse uolo quanto a tua sanctitate, que fidei
magistra est, gratius emendari, corrigi quam a ceteris
commendari cupio. Asto enim ante tue celsitudinis
65 thronum summamque sapientiam, immo ante cathedram
Petri et fidem apostolico ore laudatam a qua omnis
erroris fugit dolositas et fidei ueritas conquiescit.
Celebrauimus igitur, clementissime pontifex, hactenus

39 acies] acties SV

35-36 Peccatori... tuum] Ps 49: 16, Septuaginta || **44** Aperi... illud] Ps
80: 11, Septuaginta || **44-45** Qui... confundetur] cf. Ioh 26: 11 || **49-
51** Orate... Christi] Col 4: 3, Septuaginta

37-38 Sancte... cernitur] Augustinus Hipponensis, *Trin.* 1.2.4 || **38-
40** Humane... emundetur] Augustinus Hipponensis, *Trin.* 1.2.4 ||
47-48 Non... discere] Augustinus Hipponensis, *Trin.* 1.2.4

70 eterni patris festiua solemnia, coluimus et festa de filio,
celebrauimus denique et de spiritu sancto. Hodie uero
eorum omnium, immo unius in omnibus simul festa
peragimus ne uideatur festis hominum diuisa maiestas
75 quorum est indissolubilis unitas. Vt igitur inter innumera
huius diei sacramenta fructum aliquem, aut flosculos
saltem, carpere ualeamus atque quantum humana
permittit imbecillitas, eius quem credimus et ueneramur,
cognitionem aliquam attingere ualeamus, pro
80 dicendorum quodam ordine trimembrem uenabimur
semitam qua humana ingenia in cuiusque rei notitiam
deuenire permittitur.

Primo quidem per supernam reuelationem.

Secundo per naturalem seu scientificam inuentionem.

Tertio per alienam instructionem.

85 Si igitur dicendi gratiam dabit qui nos admonet scrutari
scripturas et in eis querere faciem eius semper, et qui per
Danielem nos admonet: *Ne recedat uolumen legis ab ore
nostro*, qui etsi clausus signatusque ignorantibus dicatur,
ut tamen idem propheta ait, uolentes *pertransibunt et
90 multiplex erit scientia* et docti intelligent, conabimur ergo
eadem triplici uia beatissime trinitatis profunditatem
quantum ipsa concesserit perscrutari.

Trinitas itaque, beatissime pater, *quasi triunitas* recte
appellata est secundum nostrum Isidorum quia pater et
filius et spiritus sanctus sunt trinitas et unitas. Idem enim
95 et *unum sunt propter maiestatis communionem*, quia trium
est una maiestas et tres propter tres hypostases, quas
personas uocamus. Hec igitur trinitas primo a nobis
credenda quam discutienda seu probanda est. Credenda,
inquam, est ut sine confusione coniuncta, sine
100 separatione distincta; nec enim confusa est in una

72 maiestas *corr.*] magestas *MSV* || **89** conabimur ergo] conabimur et
ergo *V* || **95** et] est *V*

86 Ne... nostro] *Non apud Dan sed Ios 1: 8* || **88-89** pertransibunt...
scientia] *Dan 12: 4*

92 triunitas] *Isidorus, Etym. VII.4.1* || **95** unum... communionem]
Isidorus, Etym. VII.4.2

persona, ut errauit Sabelius, nec diuisa diuinitas, ut
 blasphemauit Arrius. Sabelius quidem trium diffitebatur,
 Arrius uero unitatis essentiam inficiabatur. Sed *mentita est*
iniquitas sibi et utriusque cecitatem Iohannes uno colirio
 105 purgauit. Ait enim: *Ego et pater unum sumus*, super quo
 Augustinus ait: *'Vnum' liberat te ab Arrio et quod subdit*
'sumus' liberat te a Sabelio. Summa denique equalitas in
 trinitate credenda est ad diuinitatem relata, quia, ut
 Augustinus ait: *Si filio pater eam equalitatem in natiuitate*
 110 *subtraxit quam ei dare potuit, inuidus certe fuit, si autem dare*
non potuit, infirmus. Sed utrumque falsum quia equalis pater
est, nec ipsi filio nascendo, genito [nascendo] subuentum
est, sed ipsa copia generata est nec potest qui accepit ei
qui dedit esse inequalis, quia hoc ipsum ab eo accepit ne
 115 *esset inequalis ei. Nihil enim patre minus habet qui ait:*
Omnia que habet pater mea sunt. Omnia ergo patris filio
 communicata sunt, ea presertim que ad nature diuine
 entitatem uel ad pietatem pertinere uidentur. Entitate
 quidem nam nec alius nature entitate maior est alio, eo
 120 quia omnes tres unus deus. Item que ad pietatem et
 uirtutem, quia omnipotens pater, omnipotens filius,
 omnipotens spiritus sanctus. Fatemur tamen catholice ea
 que pater habet singulariter ad personalem proprietatem
 pertinentia filio non esse communicata. Quis enim
 125 asserere catholice potest patrem filio dedisse quod esset
 pater cum in paternitate personaliter distinguitur a filio
 secundum Damascenum. Nec obstare uidetur Sabelii ut
 putauit indissolubile argumentum: quonam, inquit, modo
 filius patri equalis est de quo scriptum est: *Non potest filius*
 130 *a se quicquam facere sine patre?* Sed certe secundum
 Chrysostomum ita illud catholice intelligendum est quia
 nihil contrarium patri nihilque alienum ab eo facere
 potest nec in hiis uerbis imbecillitas, sed summa uirtus et

112 *secl.:* nascendo genito V (*cum indicatione erroris*) || subuentum]
 subuendum V

103 *mentita... sibi]* Ps 26: 12 || **105** *Ego... sumus]* Ioh 10: 30 || **116**
Omnia... sunt] Ioh 16: 15 (*Omnia quaecumque habet...*) || **129-130** *Non...*
patre?] cf. Ioh 5: 19

106-107 *Vnum... Sabelio]* Augustinus Hipponensis, *In euang. Ioh.*
 CXXIX.36.9 || **109-112** *Si... est]* cf. Augustinus Hipponensis, *Contra*
Maximin. II.7

potestas ostenditur. Sicuti cum peccare Deus non posse
asserimus, in qua positione non utique imbecillitatem
eius accusamus, sed ineffabilem eius uirtutem testamur.
Quare recte Augustinus ait quia hoc uerbum non potest
in diuinis assumptum non deficientis est infirmitas, sed
potius potentie sublimitas. Dicimus ergo catholice quod
*non potest filius a se aliquid facere, non utique non potest
deficienter*, sed non potest potenter. Qualiter itaque
trinitas beata credenda sit breui egimus. Qualiter uero
aut cognoscenda aut probanda sit longe quam res exigit
absoluemus.

Primo igitur inspiratione superna beate trinitatis
mysterium a mortalibus cognoscitur. Eam igitur
cognitionem non solum patriarchas et prophetas, sed et
eos omnes quibus Deus fidem infundit habuisse non
dubitamus, sicut dicit apostolus: *Reuelauit eis per spiritum
suum*; et iterum Ieremias: *Domine demonstrasti mihi et
cognoui*. Sed an philosophi gentium eandem de trinitate
notitiam habuere questio animum pulsatur. Videtur
siquidem dubitationem augere quoniam Augustinus se
fatetur in libris Platoniorum legisse *non quidem hiis
uerbis, sed hoc idem omnino plurimis et multiplicibus suadere
rationibus quia 'in principio erat uerbum et uerbum erat apud
Deum et Deus erat uerbum'* et similia in quibus aperte traditur
distinctio personarum; sed et Aristoteles in *De celo et mundo*
docet in cultu diuino nos debere magnificare Deum unum per
hunc numerum ternarium, eminentem proprietatibus eorum
que creata sunt. Accedit quod Scriptura commemorat quia
magi pharaonis defecerunt in tertio signo, uidelicet in notitia
tertie persone, ut sancti expositores insinuant, quo fit ut
duas intelligamus eos cognouisse personas, quia ut de

134 ostenditur] ostendit V

149-150 Reuelauit... suum] I Cor 2: 10 || **150-151** Domine... cognoui]
Ier 11: 18

138 non deficientis] cf. Augustinus Hipponensis, *Contra Arian.* XIV.9 ||
140-141 non... deficienter] cf. Augustinus Hipponensis, *Contra Arian.*
XIV.9 || **153-157** se fatetur... uerbum] cf. Augustinus Hipponensis,
Conf. VII.9.13 || **157-161** in... sunt] cf. Thomas Aquinas, *STh.* I, q. 32, a.
1, ad. 1 || **162-163** magi... persone] cf. Augustinus Hipponensis, *Serm.*
8. Cf. Thom., *STh.* I, q. 32, a. 1 || **163** sancti expositores] *Gloss.* Rom 1;
Ex 8: 9

165 *Togaton summo patre et de Nou, scilicet eius mente, philosophati sunt. Tremegistus denique ait: Monaas gignit monadem et in se suum reflectit ardorem, per que generatio filii et spiritus sancti processio non inepte demonstrari uidetur. Qua*
 170 *de re nonnulli tractatores fateri satis uidentur eosdem gentium philosophos diuino auxilio lustratos fuisse atque adiutos circa nonnullas ueritates beatissime trinitatis. Rectius tamen putamus dici posse eosdem philosophos huiusmodi inspiratam trinitatis notitiam non attigisse, quod ex eo maxime constat quoniam, etsi in libris*
 175 *Platonicis et in ceteris quos tetigimus supradicta scripta esse constet, non tamen Platonici ipsi uerbum sumebant prout uerbum personam genitam catholice significare credimus, sed potius uerbum credebant quandam idealem rationem per quam dominus omnia condidisse docuerunt. Sed nec obstat Aristotelis dictum, quia per*
 180 *numerus ternarium magnificamus Deum, quoniam non est intelligendum quod Aristoteles poneret ternarium numerum in diuinis, sed intendit dicere quod antiqui utebantur ternario numero in sacrificiis et orationibus propter quandam ternarii numeri perfectionem et quamquam appropriata tribus personis cognoscerent, dicuntur tamen in tertio signo defecisse, id est, in cognitione tertie persone, quia a bonitate que spiritui sancto appropriatur deuiarunt dum cognoscentes Deum non sic glorificauerunt. Sed nec illud Tremesgisti obstat quod*
 185 *monaas gignit monadem. Non enim referendum est ad generationem filii uel processionem spiritus sancti, sed ad productionem mundi. Nam unus Deus producit unum mundum per amorem sui. Et hoc breuissime de prima cognitionis uia.*
 190
 195 Superest ut ad secundum cognitionis genus accedamus, uidelicet per naturalem siue scientificam inuentionem, in qua re latus esset ad dicendum campus si ingenii facultas adesset. Dicimus itaque quia in hac re *defecerunt scrutantes scrutinio*. Est igitur catholica fidei positio
 200 perfectam distinctamque de Deo cognitionem a

198-199 defecerunt... scrutinio] Ps 63: 7, Septuaginta

164-166 quia... sunt] cf. Guillelmus Autissiodorensis, *Summa aurea* III, t.12, c. 8, q. 1, tom. 1 || **166-168** Monaas... uidetur] cf. Thomas Aquinas, *STh.* I, q. 32, a. 1 || **180-193** per... sui] cf. Thomas Aquinas, *STh.* I, q. 32, a. 1, ad. 3

mortalibus nequaquam attingi posse, cuius inter ceteras
 ea causa est quoniam omnis humana cognitio a sensu
 ortum habet dicente philosopho: *Nihil est in intellectu quin*
prius fuerint in sensu. Sensu autem Deum cognosci non
 205 posse perspicuum quippe qui incorporee substantie
 existit, qua re quidditatem ipsam diuinam ex puris
 naturalibus inattingibilem fore non dubitamus. Ea
 presertim notitia qua faciliter aliquid cognoscitur aut
 prout quid est attingitur. Verissime igitur asserendum est
 210 philosophos gentium *diuinas personas per propria*
personarum, que sunt paternitas et filiatio et processio minime
cognouisse. Quod apostolus aperte nobis insinuat cum ait:
Loquimur, inquit, Domini sapientiam quam nemo principum
huius seculi cognouit. Hinc Hilarius: *Non putet se homo sua*
 215 *intelligentia generationis sacramenta posse consequi.*
 Fatendum est tamen philosophos attigisse quedam
essentialia attributa que per scripturam sacram personis
appropriantur diuinis, ueluti potentiam patri, sapientiam filio,
bonitatem spiritui sancto. Verum, beatissime pater, quia
 220 apostolus nos admonet ut *parati semper simus omni poscenti*
de ea que in nobis est fide satisfacere et fides ipsa in beate
 trinitatis confessione principaliter consistat, merito ea
 fides, eius supposita ueritate, rationibus persuadentibus a
 catholicis tuenda et protegenda est prout doctores sancti
 225 auctoritatibus sacri canonis, effectibus uestigii et imaginis
 ex actibus naturalis propaginis et similitudinibus luminis
 declarare conantur. Si enim ethnici atque philosophi
 usque ad distinctionem personarum et ueritatem et
 diuine essentie per entitatem relationis modo quo
 230 prediximus peruenere, pudeat nos inferiores ipsis
 inueniri, quin immo possit in nobis amplius ueritatis
 amor, quia in eis sapientie desiderium. Poterit ergo fides

207 non] *supra lineam V*

213-214 Loquimur... cognouit] I Cor 2: 6 || **220-221** parati... satisfacere]
 cf. I Pe 3: 15

203-204 Nihil... sensu] Thomas Aquinas, *Quaest. disp. de ueritate*, q. 2,
 art. 3, arg. 19 || **210-212** diuinis... cognouisse] cf. Thomas Aquinas,
STh. I, q. 32, art. 1, ad. 3 || **214-215** Non... consequi] cf. Thomas
 Aquinas, *STh. I*, q. 32, art. 1, ad. 3 || **214-219** essentialia... sancto] cf.
 Thomas Aquinas, *STh. I*, q. 32, art. 1, ad. 3 || **222** consistat] cf. Thomas
 Aquinas, *De rationibus fidei* 1 || **226** luminis] cf. Thomas Aquinas, *STh.*
I, q. 84, a. 1, ad. 5

ipsa beatissime trinitatis rationibus adiuuari atque
 defendi quia, secundum Dionysum, plerumque *fides*
 235 *ratione iuuatur sicut ratio fide ipsa perficitur*. Sed, si cetera
 obmittamus, unitas diuine essentie et personarum trinitas
 ex eo maxime constant, quoniam Deum infinite esse
 potentie nulla umquam barbaries negauit. *Potentiam uero*
 240 *infinitam notum est, quo fit ut possit a Deo aliquid fieri*
infinitem, sed non aliud per essentiam. Tunc enim plures deos
 esse manifeste conuinceretur. *Stabit ergo idipsum quod a Deo*
genitum est esse Deum, cum habeat generantis essentiam. Erit
 tamen alter in persona qui similem habebit potentiam infinitam
 cum sit bonum infinitum. Aut ergo eandem personam generat
 245 *pater et erit filius, aut eandem producit pater et filius et erit*
tunc spiritus sanctus ab utroque procedens, aut solum a filio
producet, quo casu non attinebit patri, nec erit plena
germanitas siue conuenientia in diuinis, quod est contra
rationem. Quippe si secus foret nec paritas amoris in diuinis
 250 *esse posset, quia pater plus diligeret filium quam spiritum*
sanctum cum generet filium et non spiritum sanctum, sed cum
spiritus sanctus sit Deus ueluti habens essentiam diuinam,
consequens est quod ei debeatur amor infinitus, quo fiet ut
infinito amore pater spiritum sanctum amabit, sicut filium; et
 255 *rursus amor patris non nisi infinitus sit relinquatur, quod tantus*
erit amor ad spiritum sanctum sicut filii ad eundem. Qua re
 oportebit fateri quod a patre filius generetur, sed spiritus
 sanctus ab utroque procedat, nec tres erunt
 260 omnipotentes, sed unus. Summitas enim omnipotentie
 non compatitur aliquem sibi esse equalem in
 omnipotentia. Verum cum in diuinis impossibile sit esse
 accidens cum diuina essentia substantifica sit atque
 simplicissima, si amor patris et filii non essent hipostatis
 personalis utique foret accidens. Qua re necesse esse
 265 dicamus illum amorem personalem esse, quippe et
 subsistentem, qui recte spiritus sanctus dicitur, pro eo
 quod cum duo se inuicem interne diligunt fit spirituum
 communicatio et quedam estuans amoris impulsio et ob
 eam rem dicunt habere unum spiritum cum idem amant

235 perficitur *corr.* ex Hugo de Sancto Victore] percipitur MSV ||
243 infinitam] nisi uitam MS || **268** estuans *corr.*] estuas MSV

234-235 fides... perficitur] cf. Hugo de Sancto Victore, *De sacramentis*
 I.3 (p. 93, ed. Berndt) || **238-254** Potentiam... filium] cf. Rogerus
 Baconis, *Opus Maius* 7.9-11

270 et affectant. Sic pater amando filium et filius patrem
summa dilectione procedit quidam spiritus amoris et
unionis utriusque. Quare digne dictus est nexus patris et
filii sicut spiritus uitalis hominis est nexus corporis et
anime. Ex hiis itaque circumscriptis sacre scripture
275 testimoniis essentialis Dei unitas et personarum trinitas
probabilibus rationibus persuaderi et defendi potest. Que
omnia tertio probationis genere a nobis pollicito
lucidanda essent, sed temporis angustia finem cogit
dicendis imponere. Accedit rei magnitudo que nullum
280 prebet ad dicendum tempus, sed nec sermo ad
persuadendum nec ingenii uigor ad capiendum sufficit.
Quare illud nobis superest remedium ut, si intellectu non
capiuntur, fide teneantur donec illucescat in cordibus
nostris idem ipse qui per prophetam se de ait: *Si non*
285 *credideritis, non intelligetis*, ut tandem, formata in nobis
fide per opera, de illorum numero effici mereamur de
quibus ipse ait: *Beati qui non uiderunt et crediderunt*. Eo
prestante qui regnat in secula seculorum, amen.

288 prestante] propitiante *M*

284-285 Si... intelligetis] Is 7: 9, Septuaginta || **287** Beati... crediderunt]
Ioh 20: 29